

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 2284

**Auteur(s) :** Gautier d'Andely [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Fécamp, La Trinité (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1233, février

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Ratification par Gauthier d'Andely de la donation faite à l'église de Fécamp par Roger d'Andely, son père, du patronage de l'église Saint-Martin de Vittefleury.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Chevreux Paul, Vernier Jules-Joseph, *Les archives de Normandie et de la Seine-Inférieure*, état général des fonds, recueil de fac-similés d'écritures du XIe au XVIIIe siècle accompagnés de transcriptions, Rouen, Lecerf, 1911, planche XXXIX.

Texte établi d'après a

Noverint universi presentes pariter et futuri quod cum ego Walterus de Andeli traherem in causam virum venerabilem dominum Willelmum, abbatem Fiscanni, in curia domini regis super patronatu ecclesie Sancti Martini de Witeflue quem ad me dicebam jure hereditario pertinere, et idem abbas personaliter esset in assisia apud Malum Leporarium ad respondendum mihi super patronatu predicto, tandem ipse, habito super hoc cum suis consilio, quandam cartam exhibuit et legi fecit in plena assisia a Rogero de Andeli, patre meo, factam et sigilli sui appensione munitam et confirmatam, sicut de verbo ad verbum inferius annotatur in hec verba: Sciant presentes et futuri quod ego Rogerus de Andeli concedo et confirmo in puram et perpetuam elemosinam Deo et ecclesie Sancte Trinitatis Fiscanni patronatum ecclesie Sancti Martini de Witeflue et quicquid ad jus patronatus pertinet, et omnino relaxo calumpniam quam faciebam in quadam decima quam possedit Rogerus clericus de Witeflue et Thomas heres ejus. Et quoniam predecessores mei injuste diffortiaverant ecclesie Fiscannensi predicte ecclesie patronatum que, sicut per fidele testimonium tocuis patrie recognitum est, sita est in dominico ecclesie Fiscannensis et in medio terrarum suarum circumquaque adjacentium, ego predictus Rogerus, indigens misericordia Dei animasque predecessorum meorum volens eripere a pena quam promeruerunt pro injuria et calumpnia predicte ecclesie Fiscannensi super prefate ecclesie patronatu injuste irrogata, pono et expono contraplegium in tuitionem predicte elemosine et relaxate reclamationis quecumque habeo in villa de Witeflue, que quidem Walterus, frater meus, feodaliter tenenda michi et heredibus meis de se et heredibus suis, pro servitio meo, libere et quiete contulit et concessit, tali quidem conditione quod si aliquis heredum vel successorum meorum contra hoc factum meum reclamaret vel predictam ecclesiam Fiscannensem vexare presumeret, liceat domino abbati Fiscanni quicquid habeo in villa de Witeflue ad jus suum in proprietatem ecclesie Fiscannensis libere et quiete revocare. Hanc penam de novo constitui ut nullus heredum vel successorum meorum de cetero super predicto patronatu ecclesiam Fiscannensem vexare presumat. Hanc autem concessionem et relaxationem de me et heredibus meis in perpetuum tenendam, tactis sacrosanctis euvangeliis in predicta ecclesia Fiscannensi, presente conventu, juravi. Actum Fiscanni anno gratie .M°.CC°. septimo. Testibus : magistro Hugone de Archis, Johanne de Herecuria, Ricardo de Sancto Walerico, Ricardo de Passeor, presbyteris ;

Willelmo de Everardimaisnillo, milite ; Ricardo de Patris ; Roberto Rahier ; Willelmo Louvel de Hogervilla ; Willelmo Effree de Wellis ; Thoma, filio Roberti Pelerin ; Robino de Camera ; Roberto de Faeio ; Willelmo, filio Ricouvardi ; Huberto de Argentiis ; Nicholao Capone et multis aliis. Ego vero predictus Walterus, audito tenore carte suprascripte habitoque super hoc cum amicis meis diligenti consilio et tractatu, videns et intelligens quod injuste vexabam ecclesiam Fiscannensem super patronatu memorato, suprascriptam cartam patris mei in plena assisia approbavi et, eam bonam esse et legitimam recognoscens, eam presenti carta et sigilli mei munimine roboravi. Actum anno gratie .M°.CC°. tricesimo secundo, mense februario.